

Letter 612: 13 June [1536], Frankfurt, Capito to Johannes Brenz

The letter is printed in Th. Pressel, ed., *Anecdota Brentiana. Ungedruckte Briefe und Bedenken von Johannes Brenz* (Tübingen, 1868), 184–5, no. 60.

Gratulare nobiscum in Christo, frater observande, ecclesiis huius renati nostri evangelii de concordia, quam Dominus, non dico ostendit, sed plane absolvit inter nos, qui Witenbergae cum D. Luthero et ceteris ecclesiae columnis adfuimus. Nam ut hoc procinctu paucis quae sint acta delibem: non Isnaci conventus, ut erat constitutum, habitus est; inimicis enim literis et libro infausto epistolarum Zwinglii per turbatores quosdam edito rationes concordiae adeo confusae erant, ut Luthero et symmistis nihil aequae deploratum videretur. Inde factum, ut asperius prima velitatione traetati nos quoque in cogitationes adversas prope venissemus. Verum ubi Bucerus et nonnihil ego bona conscientia fieri omnia ut habent exposuimus, subiecta hac protestatione gravi: paratos ex tempore respondere coram Deo in oculis Christi de fide et doctrina nostra sciscitantibus, modo dignentur inquirere in nos. Postridie vix tandem a prandio iterum auditi sumus. Morbus enim D. Luthero familiaris ademerat matutinum tempus. Gravissima oratione de eucharistia Bucerus disseruit aliis suffragantibus, qui in nostro comitatu aderamus. Mox Lutherus exurgens in cenaculum vicinum cum selectoribus, nimirum Philippo, Pomerano, Creutzingero, Iona, Hieronymo Wellero, Isenacensi et Gothensi pastoribus causa deliberandi. Reversus amicissime respondit, contra spem omnia accidere, qui non dubitasset, esse de concordia deploratum. Adeoque nos tandem plano ore quantum ad hunc articulum recepit. Sed inimicissimis quorundam literis persuasus mira monstra in ceteris nos parturire existimavit. Ideo sequentibus colloquiis actum est de baptismo. Admirati sunt disserte nos agnoscere peccatum originis, quod miseris nunquam non in manu est, in oculis, in corde, quod baptismus esset lavacrum regenerationis: deleri illo peccata, conferri novitatem spiritus etc.; sic per dies aliquot de aliis plenissimo consensu actum est. Postremo quia paucis horis agere ob valetudinem Lutheri adversam licuit, sub finem colloquii addidimus: nos in conventu Smalcaldensi confessionem principum accepisse: si quid videremur contra docuisse, de eo inquirerent, ne nimis occuparentur. Proinde nos in fratres receperunt, ad communionem corporis Christi admiserunt. Bucerus concionatus est Witenbergae et Neocomi praesente principe, ego Isenaci; summa nos humanitate prosecuti sunt. Verum quia pauci aderamus nec illi suos praecipuos haberent ad manum et res tanta ad magistratum quoque pertineat: visum est in universum non esse concludendam concordiam, etsi nobiscum plane convenerant. Annuimus et nos, quamvis instructi aliarum ecclesiarum mandatis. Helvetii non dissentiant. Articulos confessionis illorum ad te mittam, quos habebis, iam enim abeunt fratres. Commendo igitur tibi concordiam sinceritati tuae. Fac quod maiores nostri. Da operam, convicia in Schwermeros obmittant contentiosiores. Bucerus te salutatur amicissime. Martinus Frechtus, Iohannes Zwiccus et reliqui, qui in comitatu nostro sunt, te salutant amicissime et Isenmann, quem nostro quoque nomine salvere iubeas. Francofordiae 3 post Trinitatis.

Capito tuus.